Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Regula XVI. Multa sunt ejusdem generis cum extremis

urn:nbn:de:bsz:31-102400

Visual Library

Soarium *in ind. locupl. l. c.* Lege etiam §. *IIX. L. II. Eth. Ariſtotelis.*

REGULA XVI.

Multa ſunt ejusdem generis cum extremis.

I. Πάντα τὰ μεταξὺ ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐστὶ, καὶ ὧν ἐστὶ μεταξὺ, *omnia media, & ea quorum ſunt media, in eôdem ſunt genere,* ait Ariſtoteles *cit. cap. X. L. X Met.* Ratio ejus eſt, quia inter extrema & media eſt transmutatio per ſe, ſicut ex albô ſit puniceum vel fuſcum, & ex hoc nigrum, & vice versâ. Mutari autem ex genere uno in aliud genus nihil poteſt, h. e. inter ea, quæ genere differunt, non datur transmutatio, niſi per accidens: ut ex colore non mutatur aliquid in figuram, per accidens tamen fieri poteſt, ut, cum ex albo fit fuſcum aut nigrum, ſubjectum ſimul aliam ſuſcipit figuram.

II. Manifeſtum autem eſt, non eſſe propoſitionem noſtram intelligendam de medio *quoad ſubjectum*: quid enim manifeſtius eſt, quàm aërem, qui eſt medium ſubjecti inter album & nigrum, & lapidem, qui eſt medium inter ſanum & ægrum, non eſſe in eodem prædicamento cum hiſce extremis? Vide § *III Reg. præced. XIV.*

III. Sed quæritur, *quomodo hoc in moralibus habeat locum,* cùm ibi medium, ut liberalitas, ſit ſub virtute tanquàm ſub genere, extrema autem, ut prodigalitas & illiberalitas, ſub vitio?

IV.

IV. Reſp. Medium eſſe in eodem genere cum extremis, vel proximo, vel remotiori aliquo. Licet enim genus proximum liberalitatis & extremorum ejus non ſit idem, remotius tamen genus idem eſt: ſunt enim iſta omnia ſub habitu, tanquàm ſub genere.

REGULA XVII.

Quot modis dicitur unum oppoſitorum, tot dicitur & alterum.

I. Communi uſu tritiſſima eſt iſta propoſitio, deſumitur ex Ariſtotele *I. Top. c. XIII.* vel ſecundum Pacium *XV.*

II. Dicis: Ariſtoteles h. l. non docet, *tot modis unum oppoſitorum dici, quot dicitur alterum,* ſed unde cognoſci poſſit, an aliquid multis modis dicatur exponit, & inter alia docet, id ex oppoſitis cognoſci poſſe. Quando enim alicujus oppoſitum dicitur multis modis, tunc & ipſum multis modis dicitur. Non videtur ſequi, ſi, *cum oppoſitum dicitur multis modis, etiam ejus oppoſitum dicitur multis modis, tot quoque modis dicitur oppoſitum, quot dicitur alterum oppoſitum,* quia fieri poteſt ut utrumque dicatur quidem multis, non tamen totidem & iiſdem.

III. Reſp. Negari non poſſe, Philoſophi *l. cit.* inſtitutum eſſe, proponere doctrinam, quâ cognoſci poſſit, an aliquid multis dicatur modis & intra alia docere, ex oppoſito id intelligi poſſe: ſi